



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

LXXVIII. P. Prosper Intorcetta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

*Sanctorum vitas compendiosas per singulos anni dies pro
suffragiis mensuris.*

LXXVII. P. FRANCISCUS DE ROUGEMONT
Belga eodem 1656. anno venit prædicatum fideni
in Prov. *Che kiam*: tum in Prov. *Nan kim* civitatem
Cham xo. In oppido *Tai cam* aliisque locis funda-
vit Ecclesias; administrans universim 14. Tem-
pla, Oratoria vero & missiones 21. Sodalitia Pas-
sionis Domini magno cum fructu ubique promo-
vit, uti & Sodalitia quæ dicuntur Angelorum,
Catechistarum & Litteratorum. Demum *Cam hi*
Imp. anno 15. (1676.) dum iter aggreditur in *Zum*
mim insulam, obiit in oppido *Tai cam*. Translato
à Christianis cum pompâ feretro extra muros ci-
vitatatis *Cham xo*, in monte *Yu xan* dicto sepultus
est. Ab eo edita.

Compendium legis Christianæ per quesita & responsa.

Dialogus de Baptismo & Communione.

Contra sectas per modum dilemmatum.

Cantiones rustica ad pietatem & bonos mores concinnata.

LXXVIII. P. PROSPER INTORCETTA
Siculus eodem anno 1659. venit in Prov. *Kiam si*
urbem *Kien chiam* ubi novam ædificavit Ecclesiam,
præter alias in variis oppidis: dein redux ab Eu-
ropa venit in Metropolim *Ham cheu* Prov. *Che*
kiam ubi tyrocinio præest Societatis nostræ. Extra
muros

muros ædificavit Ecclesiam juxta sepulturam nostrorum Sociorum, qui decem numero illic conditi sunt. Transtulit Sinicè

Regulas Societatis nostræ.

Item Exercitia spiritualia S. P. Ignatii.

LXXIX. P. FERDINANDUS VERBIEST
Belga eodem anno 1659. cœpit fidem prædicare in Prov. Xensi : unde anno sequente ex mandato regio in Aulam vocatus ad Ephemerides componendas. *Cam hi* vero Imp. anno 8. (1669.) post carceres & novem catenas in odium Fidei toleratas iterum jussus est præsidere Academiae Astronomicae : cujus post Deum ope factum est, ut & Religio Christiana in publicis comitiis declararetur sancta & innocens, & Missionarii ab exilio revocati in pristinas Ecclesias redirent. Post hæc ab Imp. quamvis sæpius recusans, donatus est variis dignitatum titulis, in primis eo quem manu regiâ in ædibus nostris conscripsit & sigillo munivit hac forma, *Kim tien*, id est, *venerare cælum*, seu quod apud ipsos idem est, cœli Dominum : quæ fuit toto Imperio tacita quædam religionis Christianæ approbatio. Dein anno 1682. & 83. Imperator eundem in Tartariam utramque secum duxit. Ab eo edita.

Ordo proponendi mysteria fidei.

De S. Pœnitentiæ Sacramento.